

05

A

1084





HEXAS
 QUÆSTIONUM
 Logico-Metaphysicarum,

Quas
 Auxiliante Trinuno,
 In florentissima Electorali Academiâ,

Sub Patrocinio

VIRI

Clarissimi atq; Doctissimi, Domini
Magistri

MARTINI CASELII,

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Ad-
 juncti, Præceptoris & Fautoris sui plurimum
 honorandi,

Publico examini submittit

JOHANNES Winckler Gries-
 kirchenſis Austrius,

Ad diem 21. Maji horis matutinis in
auditorio collegii veteris.



WITTEBERGÆ

Ex officinâ Typograph. Ambrosij Rothi Acad. Typogr.
 ANNO M DC XXXVI.



Prælude.



Uod ii uehementer fallantur, qui sine exercitatione sese eruditos fore existimant, quotidiana docet experientia. Non enim per-

lectis alicuij discipline præceptis statim eam tenemus, sed usus etiam adhibendus est, in quo præcepta applicentur, usu assuefacienda mens est, ut sese acrius in omnia intendat. Probè hoc intellexit eloquentia flumen Cicero, dum magnam vim in discendo habere studium disputatorium asserit. Ut enim ferrum ferro acuitur, ita etiam alter ab altero per crebras disquisitiones ac placidas collationes excitatur, & ingenii vires exacuuntur. Quod cum ita sit, & sese aliter non habeat, longius monari & mihi periculosum duxi. Ideò nunc aliquot questiones pro ingenii mei modulo tractandas propono, quò & mei ingenii vires exacuantur. Ut autem feliciter succedat hoc nostrum exercitium, Te Deum Unum invocamus, suppliciter orantes, ut nostris conatibus tuâ gratiâ adesse velis. Sit ergo bono cum Deo.

A 2

QUÆ.



QUÆSTIO I.

An priorum quarti modi à subjecto detur separatio?

§. 1. Priusquam nos huic operi accingamus, paucula ad institutum nostrum facientia prælibabimus, ut penitiùs intelligatur, quid Philosophi per proprium quarti modi velint, & cur de isto nos hîc expressum instituamus sermonem.

§. 2. Controvertitur inter Philosophos de numero modorum proprii, an verè itatuendi sint quatuor, an verò pauciores.

§. 3. Porphyrius in Isagoge dividit proprium quadrivariè, quæ divisio ferè habetur in omnibus libellis Logicis, idè in ea recensenda tempus non consumam.

§. 4. Aristoteles lib. 1. top. cap. 4. recenset tres priorum modos, ἴδιον ἀπὸ λῶς, ἴδιον πότε, ἴδιον πρὸς τι.

§. 5. Alii duplicem faciunt priorum numerum, & secundum modum à Porphyrio præscriptum proprio quarti modi addunt, hâc permoti ratione, quod etiam secundi modi proprium sit necessarium, licet non soli speciei conveniat.

§. 6. Petrus Hispanus vult, solùm debere in numero prædicabilium poni proprium illud, quod à Porphyrio dicitur in quarto modo, quia ei potissimum definitio generalis proprii competit. Nam id maximè proprium vocamus, quod cum suo subjecto æquè latè patet, & convertitur, quale solum est proprium in quarto modo.

§. 7. Quia verò excusari potest Porphyrius, Toletus & Cajetano adstipulantibus, nos à communi non recedemus opinione, idcirco etiam in quæstione hâc divisionem Porphyrii retinuimus, & de proprii quarti modi separatione quærimus.

§. 8. Ratio autem cur nostra quæstio de proprio quarti modi formata est, datur hæc, quia hoc maximè tale est, cum uni & soli rei conveniat, & conversim recipitur. Proprium

prium autem primi & tertii modi non posse separari si quis affirmet, profecto merito ad Garamantas & Indos relegandus foret.

§. 9. His igitur præmissis nos ad ipsam quæstionem conferimus, ac exercitii ergo affirmativæ subscribimus.

§. 10. Videntur quidem obstare decantatissima Philosophorum axiomata, quod naturalia non possint ab ullo extraneo variari ac immutari. Aristoteles lib. 2. Ethic. cap. 1. dicit, ὁδὲν τῶν φύσιν ἰσχυρῶν ἐκτρέφεται, naturalia sunt immutabilia. Zabarella hoc etiam asserendo scribit lib. de natura cœli cap. 5., quod ea, quæ per naturam insunt, mutari non possint.

§. 11. Verùm si distinctè procedimus observantes tum propria, tum causas separantes, & separationum diversitatem, neminem id negaturum spero.

§. 12. Notandum primò est, quod propria quarti modi non sint essentialia constituentia, principia intrinseca, quibus essentialiter aliquod Ens constituitur, quemadmodum anima hominis est essentialia constitutum hominis, quia constituit ejus essentiam, sed quod sint essentialia consequentia, quæ ex essentia rei per se fluunt, eamq; semper concomitantur, uti sunt propria omnia quarti modi: Sic hominis essentialia consequens est risibilitas.

§. 13. Secundò separationis distinctiones non sunt rejiciendæ, de quibus sub fine quæstionis agetur.

§. 14. Denique attendere debemus etiam causarum conditionem, qua consecutiva essentialia, propria scilicet quarti modi separantur. Illa verò est ipse Deus noster gloriosus. Nam non implicat contradictionem, à Deo tanquam à causa prima per potentiam ejus infinitam modo supernaturali posse accidentia propria (de his enim loquimur) realiter separari. Ratio hæc est, quia propria accidentia realiter ab essentia sunt distincta. Hinc verissimus manet canon ille: Sublatis propriis, non statim tollitur subiectum.

A 3

§. 15. Et



192
§. 15. Er cum Deus actus inhibuerit, qui tamen naturaliter
semper rebus conveniunt, cur non possit inhibere influxum,
per quem accidentia, propria à suis subjectis fluunt? Sic legi-
mus 2. Reg. 6. 7. quod Cuidam ferrum sit delapsum in Jorda-
num, & tamen in aquis non descenderit, quod contra propri-
um ferri fuit; deorsum enim semper ob gravitatem tendit.
Annon separabatur actus ab igni fornacis Babylonicæ, ut non
combureret (Dan. 3. 94.) tres illos viros, cum aliàs omnia
admoto pabulo devoret? Sic sol physica necessitate semper
movetur, & tamen per infinitam Dei potentiam in pugna Jo-
sua stabat immotus in medio cœli, Jos. 10. 13. Unde rectissimè
Philippus:

*Non Deus est Numen Parcarum carcere
clausum,*

Quale putabatur, Stoicus esse Deus.

Ille potest solis currus inhibere volantes;

Ille velut scopulos flumina stare jubet.

§. 16. Pro objectionibus multiplicibus solvendis observa-
distinctionem inter separationem naturalem & supernatura-
lem, propria realiter & ratione distincta, item inter positivam
ac privativam separationem. Concedimus, quòd quævis pro-
pria quarti modi hoc vel illo modo separari non possint, ast
planè nullam fieri posse separationem constanter negamus,
imò per negamus.

QUESTIO II.

*An accidentia sine subjecto naturaliter
existere possint?*

§. 1. Ita quidem nonnulli putant, sed mihi verior videtur
negativa, quam indagandæ veritatis & exercitiū gratia sequen-
tibus duobus defendo fundamentis.

§. 2. Primum est: Si accidens per se existit absque subje-
cto

cto inhaerentiae, erit illud substantia, quod tamen falsum est, cum requisitum accidentium sit inesse subjecto, & eorum existere sit inexistere. Si igitur accidentium proprium essentialiale est inhaerere subjecto, si vi subjecti existunt, certè non absque subjecto inhaerentiae id fiet.

§. 3. Alterum fundamentum est, quod accidentia propria per naturalem emanationem suam esse habeant à subjecto. E. sine subjecti beneficio existere nequeunt.

QUESTIO III.

An singularis propositio potius equipolleat universali, quàm singulari?

§. 1. Turpi tenentur ii errore, qui dicunt singularem enunciationem potius particulari quàm universali equipollere, quia particulares non continentur sub invicem, sunt vagæ, & partunt ambiguitates. Ne igitur & nos tam graviter impingamus, contrariam partem esse veriore ostendamus hoc modo:

§. 2. Primò in singularibus nihil planè potest subsumi, de quo ejus prædicatum non possit enunciari. Quis igitur non videt, quòd potius singularis enunciatio equipolleat universali, quàm particulari?

§. 3. Secundo etiam res fit clarior, si canonem illum tritissimum inspiciamus: Ex particularibus nihil sequitur. Ex puris enim singularibus sequitur conclusio, E. singulares non equipollebunt particularibus, quia tantam habent consequentiae necessitatem, quæ omnium est evidentissima.

§. 4. Tandem notandum diligenter est, quod enunciatio singularis sumatur dupliciter, vel singulariter, vel communiter. Si communiter accipitur, tunc non universaliter de omni dici potest, quia non possum uti signo universalitatis. E. G. quando dico, hæc manus est palma, hinc habeo quidem enunciationem singularem, sed tantum communem, non enim possum addere signum universalitatis hoc modo, omne id, quod est hæc manus est palma, cum aliàs pugnus palma esset, quod absurdum est.

§. 5. Si

192
§. 5. Si verò singulariter accipitur, tunc utique procedit,
& subjectum sumi potest pro omni eo, pro quo accipi potest,
ut nunc diximus.

QUÆSTIO IV.

*An non Entis sint affectiones atque ope-
rationes?*

§. 1. Placet affirmatio nonnullis, quibus contra nostram
quæstionem facere videntur. Chimæræ enim Poetæ suas affe-
ctiones, scil. figuram & magnitudinem adscribunt. Sic et-
iam noster intellectus sibi nonnunquam varia imaginatur, quæ
tamen revera non insunt.

§. 2. Verùm facile nos ex his tricis expediemus, si attenti
intellexerimus, quòd hic non Ens (1.) non sumatur pro eo,
quod non est æternum, qua ratione à Patribus omnes creaturæ
aliquando vocabantur non Entia, non quasi planè in rerum
natura non sint, sed tantum per excellentiam respectu divinæ,
Entitatis: (2.) Nec pro eo, quod habet esse imperfectum, quo
sensu accidentia ab Aristotele solent dici non Entia, quæ ta-
men habent affectiones: Sed (3.) non Ens dicatur in compa-
ratione ad essentiam realem & positivam.

§. 3. Pro objectionibus solvendis nota, quòd aliæ sint af-
fectiones reales, aliæ intentionales. De posterioribus si quis
hæc verba intelligit, concedimus non Entis dari affectiones;
eæ enim rei præteritæ, rei futuræ, imò etiam planè impossibili
convenire possunt: Ast de his sermo noster non est, potiùs
de realibus ac internis est intelligendus.

QUÆSTIO V.

An in rerum natura dentur Entia mala?

§. 1. Negationis ratio prima potest esse hæc:

Qualis causa talis effectus

Deus est causa omnium rerum & est bona,

E. etiam omnes res, quæ sunt ejus effectus, erunt

bonæ.

§. 2. Hinc

95
§. 2. Hinc nullus saniorum statuit Philosophorum,
quòd malum Deo possit attribui, ut causæ, cum etiam ab illis
ut optimus adoretur. Et quomodo Deus poterit errare, qui est
sapientissimus, quomodo potest dici malorum causa, cum ipsa
sit summa bonitas?

§. 3. Rectissimè itaque dicitur à Platone: κακῶν μὴ ὁ
θεὸς αἰτία, ἀγαθῶν δὲ αἴτιον τε εὐπραξίας, malorum
causa Deus non est, sed bonorum & felicitatis.

§. 4. Tertia ratio nostræ negationis est, quòd omnia
Entia congruant cum voluntate divina, voluntas autem divi-
na est perfectissima, E. tantum fertur in bonum, & non in ma-
lum, quod à perfectitudine recedit. Nam quò quid perfectius,
eò magis vergit in bonum, & detestatur malum.

§. 5. Posset autem aliquis regerere, dari multa mala,
quæ proveniunt à causa secunda juxta omnium Metaphysico-
rum consensum, nunc autem in propatulo est, causam secun-
dam nullum edere posse effectum absque concursu primæ, cum
subordinetur primæ, & in causando dependeat à priori, quæ
definitio in compen. Metaphys. Rever. atq. Excell. Licentiatii
Scharfii pag. 97. videri potest. E. Deus quæ est causa prima o-
mnium, erit etiam causa mali.

§. 6. Respondemus concedendo, quòd utique causa
secunda non agat nisi mota à prima, ad defectum tamen, qua-
tenus talis, prima causa non concurrat; siquidem malum non
effectus, sed defectus est, nullus verò defectus pender ab effi-
ciente, quatenus efficiens, sed quatenus in agendo deficit.

§. 7. Sit exemplum. Organædus peritus benè per chor-
das instrumenti musici mobilibus digitis figurat, & per se cau-
sa est harmoniæ, at si sint chordæ nimis laxatæ, aut nimium
intentæ, oboritur *δυσφωνία*. Hic quidem Organædus influit
per se in chordas, & fit boni concertus causa, sed non in chor-
darum *ἀτάξίαν* influit, ut sit causa *δυσφωνίας*, hæc enim unicè
ab *ἀτάξίᾳ* chordarum est: Sic quoque Deus concurret quidem
semper per se ad quasvis causarum secundarum actiones, sed
non ad *ἀτάξίαν* illarum.

B

§. 8. Pro

§. 8. Pro diluendis variorum objectionibus observa
malum culpæ & poenæ. Illius Deus non est causa, sed hujus.

§. 9. Ultimò distinguimus inter malum morale, natu-
rale, & transcendente. Non imus inficias, quòd dentur ma-
la moralia atque naturalia, qualia sunt varia vitia, monstra,
morbi, &c. sed de iis non est quæstio; nos loquimur de malo
transcendentali, & sic nullum Ens malum esse, constanter as-
serimus.

QUÆSTIO VI.

*An divina præscientia tollat rerum con-
tingentiam?*

§. 1. Ita est, respondebunt Stoici, qui omnes actiones,
omnes causas, ipsam etiam hominis voluntatem fatali subji-
ciunt necessitati, ex eo, quòd Deus omnia futura præsciat, præ-
scientia verò ejus falli non possit.

§. 2. Verùm nos piè dicimus, quòd non; (1.) quia si di-
vina præscientia tolleretur rerum contingentiam, Deus foret
causa peccati, quòd absurdissimum. Nam omnia peccata sic
fierent necessariò. Quæ verò necessariò fiunt, sunt ab influ-
xu Dei, tanquàm à causa prima, & sic ipsa peccata essent à Deo,
quòd S. Scripturæ contrariatur, & ipsis etiam Ethnicis, qui
Deum nequaquam mali Autorem statuunt.

§. 3. Certum est quidem, omnia futura tam mala, quàm
bona prævidere & præscire Deum, nec ullus erit ab omni ratio-
ne tam alienus, hoc qui neget, cum tot scripturæ locis constet.
Certum etiam est præscientiam Dei non esse incertam conje-
cturam, quæ errare & falli possit, sed sicut scientia ejus de præ-
teritis & præsentibus verissima est: Ita etiam præscientia de fu-
turis falli nequit.

§. 4. Hinc tamen nullo modo statuendum est, quòd ex hac
infallibili Dei præscientia tollatur contingentia rerum. Nam
si peream tolleretur, non darentur actiones hominum liberæ,
quòd est contra omnem autoritatem & rationem.

§. 5. Ari-

96,

§. 5. Aristoteles enim lib. 3. Ethic. statim à principio libertatem voluntatis humanæ, totius moralis disciplinæ statuit fundamentum. Irenæus inquit, posuit Deus in homine ἐξουσίαν προαίρεσιως, potestatem electionis, sicuti & in Angelis. Ad hæc si nulla foret hominibus libertas agendi, de nihilo essent præmonitiones, admonitiones, & dehortationes, nec amplius pœnis ac præmiis locus esset, quod tamen falsum est.

§. 6. Secundò optimè distinguunt, qui contingentia fieri dicunt juxta Dei præscientiam, non verò propter illam, hoc est, omnia prævidentur, quia sunt futura, non autem sunt futura vel fiunt, quia præsciuntur. Exemplo nobis sit Medicus, qui mortem ægroti agonizantis infallibiliter præscit, & dicit, brevi illum moriturum, & tamen ille ægroto non infert necessitatem mortis, licet res aliter evenire non possit, si ordinarium naturæ spectes: Sic etiam Deus providentiâ suâ certò præscit futurum aliquid, & quomodo illud sit futurum, interim tamen Deus illi non infert novam necessitatem, sed quæ habuerunt necessarias causas, necessariò eveniunt, quæ verò contingentes, contingenter quoque fiunt, & ita infallibilitas præscientiæ non tollit contingentiam.

§. 7. Quemadmodum visus humanus rebus nullam infert necessitatem, licet dum videntur, aliter se habere non possint: Ita etiam Deus suâ providentiâ omnia intuetur & conservat, ut creata sunt, verùm novam illis necessitatem non infert.

§. 8. Pro decisione objectionum distinctionem apponimus inter necessitatem consequentiæ & consequētis. Quando igitur dicitur, præscientiam divinam inferre necessitatem, intelligendum hoc est de necessitate consequentiæ, quæ cum contingentia stare potest, cum res fiat certis cum conditionibus. Si verò intelligatur de necessitate consequentis, tunc

negamus, quia ea cum contingentia stare planè

nequit. Hæc nunc ita dixisse

sufficiant.

Gloria sit summo, qui regit astra, Deo.

Ad Literatissimum ac Præstantissimum
Dominum Respondentem, Amicum meum
Singularem ac dilectum.

Dum quaris lucem, cathedra quoque pulpita scandis,
Confundis dextrè quos mala creta juvat,
Judiciumq; tuo formant de nomine prævum,
Quòd placet obscurum vivere. Et arte rudem.
Sed quis non hodiè videat te lucis amantem,
Dum facis egregium lucis Et artis opus.

Johannes Schubertus
Iglâ-Moravus.

Wincklere conamen tuum,
Quo Simplici Minoia
Filo puellæ duceris
Ad veri operti semina
Laudo, sacræq; adoreæ
Ter gratulor, ter gaudeo.

Georgius Poch Hungar.

Faxit Jova precor quæ nunc bona facta capessis:
Ut patriæ Patres, nec non schola gaudeat olim;
Hisq; novi tituli surgant virtutis amore,
Quos nec livor iners tollat, nec funera mergant.

Joannes Heilman Iglâ-
Moravus.

0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

05 A 1084


ULB Halle 3
003 765 377



VDM







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Black
Cyan	3/Color
Green	White
Yellow	Magenta
Red	Red
White	White
Magenta	Magenta
Black	Black

91.

AS ONUM

yficarum,

nuno,

ali Academiâ,

o

gmi, Domini

ASELII,

ilosophicæ Ad-

s sui plurimum

mittit

ckler Gries-

ius,

atutinis in

teris.



Æ

Rothi Acad. Typogr.

XVI.

